

geret præfixa dies affuit, mœsti atque solliciti ob hoc vnum, quia prouocandi ius non erat, paruere. Legens in frontibus secreta pectorum Scipio, in tempore reuersos alloquitur mitius, & video vos inquit, tædio ac labore longinquæ militiæ conterritos, & quonam pacto vos hoc onere leuare queam iam dudum cogito, proinde dicite intrepidi, prius quam in discrimen ventum sit, quid cuique fert animus: Hic. Cum vnus ex eo numero, seu loquendi promptior seu timidior pugnandi, malle se detrectare militiam, si suæ potestatis fieret, apertè respondisset. Tum Scipio: Quando palàm mihi loqueris, vicarium, inquit, tibi dabo quod cum ille libens amplecteretur, vni ex Romanis inermibus, in medium prolata arma & equum tradidit adolescens Siculus. Id exemplum secuti omnes quibus quies esset charior quam gloria, cum bona gratia Romani Ducis, exemptum imparato labori militem videntes, eandem conditionem acceperunt: sic militandi necessitas querulis remissa, & ingenio effectum, vt quod alioquin inimici fecissent, læti & gratias agentes arma & equos tradiderunt Romanis, eximiamque illam equitum